



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Iustificacione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

qui non possint conuerti ad Deum. Enthusiastæ, Anabaptistæ, & Stenckfeldiani fugunt, expectandos esse violentos raptores, qui hunc nem etiam repugnantem conuertant. Has portentosas opiniones fugiamus, & consideremus ordinem à Deo sancitum: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei, &c. Colligit Deus æternam Ecclesiam voce Euangelij, & non aliter, arguit peccatum, & vult nos expulserere, non perseverare in delictis contra conscientiam. Tradidit enim promissionem gratiæ, cui vult nos assentiri, & nõ indulgere delictis: sed luctari cum imbecillitate nostra, & simul petere auxilium Spiritus sancti, quem promisit ijs, qui se fide sustentant, sicut dicitur Galat. 3. vt promissio Spiritus sancti detur credentibus. Item: Quomodo magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus, quod si dicat, non repugnantibus. Item: Petite & accipietis. Item: Convertere me & cõuertar. Huc pertinent hæc dicta: Trahit Deus, sed volentes trahit. Item: Gratia præunte, comitante voluntate. **C**ONVERTUNT igitur in conuersione hæc causæ, verbum Dei, Spiritus sanctus, quæ Pater & Filius mittunt, vt accendat nostra corda, & nostra voluntas assentiens, & non repugnans verbo Dei. Ac ne indulgeamus delictis, considerandum est, vttramque concionem vniuersalem esse, concionem pœnitentiæ, & promissionem gratiæ, sicut in Iesaja clare dicitur, capite 53. Omnes nos quasi oves errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Deus in eo iniquitates omnium constructû. Et de accusatione vniuersali passim obuia sunt testimonia: Omnis caro fœnum. Item Romæ. 1. Vt omne os obturetur, & reus sit reus mundus Deo. Rursus & promissiones vniuersales in conspectu sint. Conclussit Deus omnes sub peccatum, ut omnium miseretur. Item: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Item: Venire ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Item: Apud Deum non est προσωποληψία. Hæc verè & dulcissime consolationes semper in conspectu sint, nec ponantur in Deo contra dictoriæ voluntates. Vult nos Deus credere filio, & promittit gratiam omnibus confugientibus ad filium, & perentibus auxilium, sicut Psalmus inquit: Beati omnes qui confidunt in eum. Non igitur repugnemus, sed assentiamur promissioni, & hanc precationem ad se due repetamus: Credo Domine, sed opem fer meæ imbecillitati.

DE IUSTIFICATIONE.

QVID SIGNIFICAT VOCABULUM Iusticia?

SEMPER in hac doctrina initio consideretur, & quid vocabula significant, Iusticia, Gratia, Fides, & discernatur iusticia carnis à iusticia.

Iusticia fidei. **E**s t autem iusticia carnis obœdientia externa, iuxta omnia mandata Dei, quam homo etiam in hac imbecillitate naturalibus viribus vicunque efficere potest. Est autem hæc obœdientia gubernatio locomotiua, id est, externorum gestuum, quæ sit cogitatione mentis & voluntatis, ciente aut reprimente organa locomotiua. Nominatur autem litera, id est, pictura, quasi illita cerebro cogitatione, quia non est lux intuens Deum, nec est incendium & virtus in corde, sicut folium fici tegebat externam deformitatem in Adam, non tollebat eam. Quanquam autem hæc diligentia rationis in regenda disciplina externa non meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia coram Deo, nec est impletio legis, tamen severissime præcipit Deus, ut hanc disciplinam præstemus, & in hac mortali vita punit atrocibus pœnis atrocem violationem disciplinæ, & nisi fiat conuersio ad Deum, punit eam æternis pœnis. **S**CIA MVS autem quatuor esse causas, propter quas omnes, etiam non renati, debent præstare disciplinam. **P**RIMA est, Mandatum Dei, quia omnes creaturæ rationales Deo obœdientiam debent.

SECUNDA, Necessitas vitandi atroces pœnas, iuxta dicta, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Væ qui spoliast, quia spoliaberis. Leuit. 24. de incestis: Omnis anima quæ fecerit has abominaciones, euometur ex terra. Item: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Sanxit autem has pœnas Deus, & exercet, ut hæc tristitia spectacula commonefaciant nos de discrimine honestorum & turpium, & ut sciamus esse Deum, & esse sapientem, castum, & vindicem scelerum, deinde ut conseruetur societas generis humani. **T**ERTIA causa est, Necessitas non turbandi alios, quia homo nõ viuunt sibi tantum, sed etiam ut adiuuet communem conuersationem, iuxta dictum: Diligas proximum tuum sicut teipsum. **Q**UARTA, Ut disciplina sit pedagogia in Christum, id est, quia Deus non est efficax in his, qui scientes perseverant in sceleribus contra conscientiam. **D**IXIT autem hanc iusticiam carnis nequaquam esse integram obœdientiam legi debitam, sed esse frænum externorum gestuum. Interea tamen in mente caligo est de Deo, plena dubitationum, & corda sunt sine verotimore Dei, sine fiducia, & sine dilectione Dei, & magna incendia sunt malorum affectuum. Ideo discernenda est iusticia carnis, ab integra obœdientia, qualis fuisset in natura integra, & qualis erit, cum Deus erit omnia in omnibus. Illa integra obœdientia seu conformitas cum Deo, nominatur iusticia. Galat. 5. Nos enim spiritu ex fide spem iusticiæ expectamus, ubi iusticia de integra nouitate dicitur. Sed interea sæpe etiam in renatis nouitas & bona opera renatorum dicuntur iusticia. Quanquam enim nouitas in hac mortali vita non est integra, tamen placet propter mediatorem, ut postea dicitur. Sic

Matth. 5. Nisi abundauerit uestra iusticia, plus quam Scribarum & Phariseorum. Et Roma 6. Præbere membra uestra serua iusticia in sanctificationem. Ioh. 3. Qui facit iusticiam iustus est. Et in P[er]i[ph]ra[se] Feci iudicium & iusticiam. Hæ formæ loquendi congruunt ad legem. Ac prudenter discernenda sunt dicta propria Legis, & alia propria Euangelij de reconciliatione propter mediatorem, ut: Iustificandi de pace[m] habemus.

DEFINITIO apud Clementem loquitur de nouitate, & simul complectitur uniuersalem & particularem iusticiam: *δι' αὐτοῦ ἔστι κοινωγία θεῶ μετὰ ἡμῶν*, id est, iusticia est communicatio, qua Deus se nobis communicat, & est confectio ordinatæ æqualitatis. Prior pars loquitur de prima tabula, & de actionibus diuinis in renatis. Secunda de æqualitate, loquitur de actionibus ordinatis erga proximum. Hæc congruunt ad legem, sed dextre intelligenda sunt. Ostender ipsum Deum mouentem nos ad iusta faciendâ, nominat iusticiam. Hoc loquendi modo etiam quis uolet uti, tamen prius dicendum est de iusticia imputata propter Filium Dei, qua Deo propter mediatorem credentes placet. Distinguenda est etiam causa, scilicet, Deus ipse, ab effectibus in nobis, & in infinitum anteferenda est obedientia filij Dei nouis actionibus, quæ sunt in nobis.

POST QUAM hæc legalia recitata sunt, nunc sciamus quæ iusticiam legis integram, seu integram obedientiam non habemus, ideo in promissionibus gratiæ aliam iusticiam reuelari, scilicet imputatam propter Filium Dei, quæ cum fide accipitur, Filius Dei simul est efficax in cordibus credentium, uiuificat & donat Spiritum sanctum, ut Roma 5. dicitur: Per ipsum habemus gratiam, & donum per gratiam. **NOMEN** Gratia certissimum est hic intelligi oportere reconciliationem gratiarum propter Filium promissam, Deinde donum, sanctificationem & restitutionem uitæ æternæ, quæ simul omnia nominat Daniel, iusticiam sempiternam. Verum etiam, sanctificationem & restitutionem uitæ æternæ fieri Filio Dei per Euangelium consolante nos, & dante Spiritum sanctum, & postea glorificante Ecclesiam post resurrectionem ex mortuis. Proterius eodem modo loquitur Ioannes: Lex per Moysen data est, Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est, id est, Remissio peccatorum & reconciliatio gratuita nobis propter obedientiam filij donatur, et per eum fit ueritas, id est, uera & non euanescentia bona, sed æterna bona nobis donantur, id est, in hac uita sic incoatio uitæ æternæ & conformatio cum Deo, quæ postea consummabitur, quia filius Dei insipit in nobis renouare imaginem Dei, cum suo uerbo nos assimilat per Spiritum sanctum, accendentem tales motus, qualis ipse est. Non enim

nam ideo annuntiatur remissio, ut maneat peccatum & mors, sed ut recipia aboleantur, & iusticia & uita æterna restituantur. CUM igitur de iustificatione peccatoris dicitur, necesse est semper primum cogitare de remissione peccatorum & de reconciliatione, iuxta promissionem. Quia etiam si haberemus omnes Angelorum uirtutes, & nos sciremus nos placere Deo, nullam consolationem haberemus.

DEO iuxta Paulum semper hoc modo definimus Iustificationem: Iustificatio est acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis seu acceptationis gratiæ propter filium Dei, quæ cum fide accipitur, uerissimum est simul filium Dei corda uiuificare, dicere consolationem in cordibus per Euangelium, & Spiritu sancto accendere tales motus, qualis est ipse, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum. Quia igitur necesse est accipi remissionem peccatorum, & nouitas non est integra in hac uita, Paulus nominat imputationem iudiciæ, reconciliationem, quæ propter mediatorem recipimur.

QVIS EST VSVS NOMINIS Gratia?

GRATIA apud Paulum in hac doctrina significat Ebrææ phrasim misericordiam gratuitam, uidelicet remissionem peccatorum & reconciliationem, seu acceptationem gratiam propter filium Dei, quæ cum fide accipitur, simul filius Dei uiuificat corda, & per Euangelium dicit consolationem in corde, & accendit Spiritu sancto tales motus, qualis ipse est. Sic nominat Paulus gratiam, & donum per gratiam, ut supra dictum est.

QVIS EST VSVS NOMINIS Fidei?

FIDES est assentiri omni uerbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiæ, & est fiducia acquiescens in Deo, propter filium, accedens ad Deum, & inuocans eum, & clamans Abba Pater, quæ sentitur in credentibus, & in ueris pauoribus affert consolationem & læticiam, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. COMPTACTIMUR ergo appellatione fidei omnes articulos simul, & nominatim hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, & uitam æternam, qui sic intelligendus est in uera conversione: Credo remissionem peccatorum non tantum alijs dari, sed mihi quoque. De hac fide, quæ sibi unusquisque in conversione & consolatione promissionem applicat, loquitur Paulus Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sic summa promissio. Promissio autem & cæteros articulos Symboli continet. Hæc plana & perspicua sunt in uera consolatione & inuocatione.

A c discrimen conspici necesse est, inter noticiam huiusmodi, qualis est in Diabolis & impijs, & hanc fidem, quæ simul &

historiam nouit, & est assensus, quo promissionem gratiæ amplectimur, & fiducia qua agnoscentes promissionem, acquiescimus, & latamur in Deo propter Filium.

SINT igitur in conspectu hæc duo dicta: Demones credunt & contremiscunt, id est, norunt hilitatem, & eo furiosius irascuntur, quia certo norunt, Filium Dei iudicatum esse, & prospiciunt suas pœnas, quibus in tota æternitate cruciantur. Promissionem uero gratiæ sciunt ad solos homines pertinere, iuxta dictum: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, &c. Hæc noticia in Diabolis in infinitum detrahenda est ab hac fide, de qua dicitur: Iustificati fide pacem habemus, quæ est assentiri omnibus articulis Symboli & promissioni, & qua credis, tibi ipsi remitti peccata, cuius fidei proprietates dulcissime recitantur Ephes. 1. cum inquit, Nos hac fide habere *ἡμεῖς* & fiduciam accedendi ad Deum. Saul oppressus dubitatione horribili timore fugit Deum, operat se redigi in nihilum, sicut scriptum est Lucæ 23. Dicent montibus, cadite super nos. Dauid autem audita consolatione, erigitur fide, accedit ad Deum, & audet inuocare, sicut inquit: Sustinuit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in Domino, à vigilia matutina usque ad noctem. Et hac fide simul ipse filius Dei *λόγος* dicit consolationem in corde tuo, & uiuificat te, & extrahit te ex inferis, ac ostendit misericordiam Patris uoce Euangelij, & dat Spiritum sanctum lætificantem nos. Ideo inquit Paulus Ephes. 3. habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Et i. Iohan. 4. In hoc scimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quia ex spiritu suo dat nobis. Et Athanasius inquit: Vbiq; dicitur Spiritus sanctus in aliquo esse, ibi est per uerbum. **D**IFFERT igitur fides, de qua dicitur: Iustificati fide pacem habemus, à noticia, qualis est in impijs, obiecto & causa efficiente. Quia uera fides intuetur promissionem, & accenditur per filium Dei, qui Spiritu sancto cor lætificat, & adinuocationem exuscitat.

QUOMODO ACCIPIT HOMO REMISSIONEM peccatorum, & reconciliationem seu iustificationem, & donationem Spiritus sancti & uitæ æternæ?

RESPONDEO. Homo in conuersione, id est, in ueris doloribus & pauoribus accipit remissionem peccatorum, propter meritum filij Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, Deum & hominem, gratis, sola fide, non propter propriam dignitatem, seu propter uirtutes proprias, aut propria opera seu merita. Et in his pauoribus semper fit in conspectu discrimen legis & Euangelij, & sciamus æternum & immutabile mandatum Dei esse, ut credamus nos recipi pro-

per filium, iuxta dictum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & viuat. Item: Gratia exuberat supra dictum. Cumq; erigimur fide, & accipimus remissionem peccatorum, filius Dei vere est efficax, & voce Euangelij dicit consolationem in cordibus, ac fide simul accipimus imputationem iustitiæ seu reconciliationem, & Spiritum sanctum, & efficiamur hæredes vitæ æternæ, gratis, propter Christum. Hæc omnia comprehendit dictum: Iustificati fide pacem habemus. Et Galat. 1. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et Rom. 5. Iustificati sanguine ipsius seruabimur per eum ab ira eius. Huc adiungantur alia testimonia, ac præcipue propositio epist. ad Rom. cap. 3. & confirmatio cap. 4.

CONTRA.

I. ARGUMENTVM.

Vbi multa simul sunt, non est ponenda exclusiua,
In conuersione multa simul sunt, vt, contritio, fides, dilectio, bonum propositum, spes, & aliæ virtutes,
Ergo non est dicendum, Sola fide iustificamur.

RESPONDEO ad minorem: Quanquam multæ virtutes simul sunt in conuersione, tamen non sunt causæ seu merita iustificationis, id est, remissionis peccatorum & reconciliationis & viuificationis, & donationis vitæ æternæ: Sed solus filij Dei obædientia, est causa seu meritum iustificationis. Hic est propitiator, ut ad Romanos 1. dicitur. Et Iohannis 1. Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.

II. ARGUMENTVM.

Impossibile est, vllam rem esse iustam sola noticia,
Fides est tantum noticia,
Ergo non est dicendum, sola fide.

RESPONDEO ad minorem: Fides non significat hic noticia, qualis est in Diabolis, sed comprehendit noticia omnium articulorum fidei, & fiduciam in voluntate acquiescente in Deo propter mediatorem, agnita misericordia in promissione. Quia fides de qua Paulus loquitur, est assensus, quo omni verbo Dei nobis tradito assentimur, ac simul etiam promissioni gratiæ, cum quo assensu inseparabiliter coniuncta est fiducia acquiescens in Deo, iuxta promissionem. Sed noticia præcedere necesse est, quia noticia sunt apprehensiuæ. Et in hoc ipso assensu filius Dei est efficax, dicit voce Euangelij consolationem in corde tuo, ostendit voluntatem Patris, retrahit cor ex inferis, & viuificat te, & dat arrabonem Spiritum sanctum, qui accendit læticiam & inuocationem in corde, iuxta dicta: Accipitis Spiritum clamantem abba Pater. Item: Effundam super domum
25 Dauid

David Spiritum gratiæ & pacem, &c. Quod autem fides sit affectus promissioni gratiæ, manifestum est ex cap. 4. ad Romanos, ubi Paulus correlatiue copulat promissionem & fidem. Ideo ex fide gratia, ut sit firma promissio.

III. ARGUMENTVM.

Fide sumus iusti,

Fides est opus,

Ergo operibus sumus iusti.

RESPONDEO ad maiorem: Propositio hæc, Fide sumus iusti, intelligitur correlatiue, videlicet per misericordiam summi patris propter Filium Dei, & id beneficium oportet fide accipi. Quam enim fides est excellens virtus, tamen etiam est imperfecta & lapsiva. Et hoc vult doctrina Ecclesiæ, credentes per misericordiam propter Filium Dei accipere remissionem peccatorum & reconciliationem ac placere non propter propriam dignitatem. Ideo inquit Paulus, Sumus dilecti in dilecto, id est, propter filium. Alijque videntur responsiones, quas hoc loco omitto.

III. ARGUMENTVM.

Iusticia est obedientia secundum omnes virtutes, seu iuxta totam legem, seu conformitas cum Deo,

Fides non est omnes virtutes.

Ergo non est iusticia.

RESPONDEO. Maior est vera de iusticia legali. Quia vero legis iusticiam (scilicet integram obedientiam interiorem & exteriorem) non habemus, hanc ipsam ob causam immensa misericordia patefecit Deus promissionem de gratia, & imputata iusticia propter meritum filij mediatoris. Et simul fit incoatio obedientiæ huius conformitatis cum Deo, iuxta dictum 2. Cor. 3. Transformamur in eandem imaginem, tanquam à Domini spiritu.

V. ARGUMENTVM.

Deus iustificat,

Deus est dilectio,

Ergo dilectio iustificat.

RESPONDEO. Concedo totum, si sine ambiguitate argumentum intelligatur. Deus est dilectio, scilicet, qua nos diligit, ad illius essentia vere ac serio diligens homines propter filium. Et hæc dilectio, qua Deus nos diligit propter filium, iustificat. Huius propositionis correlatiua est: Fide iustificamur, id est, hac fide, qua agnoscimus & statumus nos diligi propter filium. Aduersarij vero cogitant, quod iustos esse dilectione, qua homo diligit Deum.

VI. ARGUMENTVM.

Virtutes non sunt confundendæ cum Paulus discernat: Fides,
Spes, Dilectio tria hæc, sed maior inter has dilectio,
Fiducia est actio seu actus spei,
Ergo fiducia est discernenda à fide.

RESPONDEO ad Maiorem. Verum est, virtutes non esse confundendas, sed recte intelligendæ sunt discrimina. Nam fides non est tantum noticia, sed est simul assentiri promissioni, in qua offeruntur remissio peccatorum, reconciliatio, donatio Spiritus sancti & vitæ æternæ. Et est fiducia acquiescens in Deo propter mediatorem, accedens ad Deum, & accendens inuocationem, & clamans abba pater. Ergo quia fides in præsentia accipit remissionem peccatorum & reconciliationem, est fiducia præsentis beneficii. Sed spes est certa expectatio vitæ æternæ, gratis dandæ propter mediatorem, & est expectatio mitigationis penarum corporalium, iuxta voluntatem Dei. Cum igitur fiducia nominatur actus spei, intelligitur fiducia futuræ liberationis, seu futuræ mitigationis. Dilectio est obedientia, quæ prælucent in fide præstatur Deo, iuxta omnia mandata, sic ut cor lætetur in Deo.

VII. ARGUMENTVM.

Mala opera damnant,

Ergo bona saluant, quia contraria habent contrarios effectus.

RESPONDEO. Contraria, si sint pariter integra, habent contrarios effectus. Sed mala opera sunt integre mala, quod de non renatis manifestum est. Nam etiam si in Aristide & Scipione sunt magnæ virtutes, quia nisi esset aliquorum gubernatorum excellens virtus & sapientia, non posset conservari humana societas: Tamen hæc virtutes non sunt impletio legis, manent in corde tenebræ de Deo & de filio Dei, dubitationes & horrendi fremitus aduersus Deum. Deinde manifestum est, etiam in renatis, quanquam est in eis incoata obedientia, tamen non esse integram legis impletionem. Ideo dicitur in Psalmis: Non iustificabitur in conspectu tuo, omnis viuens. Et Iob cap. 9. inquit: Vere scio, quod non iustificetur homo coram Deo. Cum igitur non sit integra obedientia, non valet consequentia: Mala opera damnant. Ergo bona opera saluant, quia contraria non sunt æqualia. Hæc antithesis illustret beneficium Christi, qui tegit reliqua peccata in renatis, iuxta dictum: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata, id est renati placent propter mediatorem, non propter propriam dignitatem, quia incoata obedientia adhuc procul abest a perfectione legis.

VIII. ARGUMENTVM.

Impossibile est nosse voluntatem Dei erga nos, iuxta dictum:
Quis consiliarius eius fuit?

Credere

Crede quod habeas remissionem peccatorum, est aliquid a seuerare & affirmare de voluntate Dei erga nos,

Hæc igitur affirmatio est impossibilis.

R E S P O N D E O. Hæc ipsa imaginatio Academica seu Pythonia omnium hominū mentes turbat. Sed maiorem constantissime argui oportet de voluntate reuelata. Ac primum de lege manifestissimum est, sciri voluntatem Dei in lege reuelatam, iuxta dicta: Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidæ non possidebunt regnum Dei. Lex enim ideo patefacta est in creatione, & deinde sæpe repecta, ut sciat quod sit Deus, & qualis sit, & quod velit nos esse condonari suæ sapientiæ, quod sit vindex. Et huic noticiæ addit testimonium in quotidianis & horribilibus pœnis scelerum. **S E C U N D O** enim immensa bonitate Deus propter filium & per eum reuelauit voluntatem de remissione peccatorum & reconciliatione in Euangelio, iuxta dictum: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Hanc ipsam ob causam tradita est promissio gratiæ, quia ratio naturalis non reddet hanc admirandam voluntatem Dei de remissione. Et hæc reuelatio de reconciliatione & restitutione humanæ naturæ per filium, discernit Ecclesiam ab omnibus gentibus. Ideo sciendum est, hæc reuelationem opponendam esse naturali & Academicæ dubitationi.

S E D opponit hoc argumentum humana ratio: Adde etiam conditio legi: Hoc fac & uiue. Cum igitur non facti sit legi Dei, debitandum est, &c. Respondeo. Et hoc ipsum in reuelatione Euangelij considerandum est, ideo immensa misericordia missum esse filium, ut nos à maledictione legis redimeret, & gratis propter filium deus reconciliationem. Quanquam autem pœnitentia necessaria est (sue parua, siue magna) tamen remissio non pendet ex dignitate pœnitentiæ, sed propter mediatorem & gratuita & certa est. Dauid post lapsum agens pœnitentiam, statuit se vere recipi in gratiam audita hæc uoce Domini abstulit peccatum tuum. Eadem est uox Euangelij ad singulos agentes pœnitentiam. Et mandatum immutabile est, ut filio Dei credamus; Hunc audite: In hac breui responsione fontes cordis reuelantur, patefactio & discrimen legis & Euangelij, discrimen uoluntatis reuelatæ, & non reuelatæ, &c.

I X. ARGUMENTVM.

Prorsus simile argumentum est, quod huc detorquetur ex capite 2. Ecclesiastæ non recte enarrato: Nescit homo, aut more vel odio dignus sit.

R E S P O N D E O. Hæc sententia prorsus congruit cum doctrina de fide, quam recitauimus, quia reuocat homines in iudicium spectaculis humanorum euentuum in hac uita ad uerbum. Non nocet homo de fauore & odio Dei ex secundis aut aduersis rebus in hac

ut: David non iudicet se abiectum esse à Deo, etiamsi est expul-
sus a regno. Achab non iudicet se placere Deo, etiamsi est rex potens &
glor. Sed David iudicet ex verbo Dei, se placere Deo, quanquam
iudicet se displicere Deo, etiamsi est rex potens & gloriosus, quia
dicitur: Dominus abstulit peccatum tuum. Achab
iudicet se displicere Deo, quanquam est rex potens & gloriosus, quia
dicitur: Maledictus omnis, qui facit idolum, quod est abomina-
tio Deo.

P E R S P I C V M est igitur, dictum Salomonis pro-
prie congruere cum nostra sententia, quæ iubet de voluntate Dei ex
verbo iudicare. Nec difficile est copiose refutare enarrationes Papi-
stiarum. Insaniunt enim, si hoc dicunt, non scire homicidas & adul-
teros, an sint digni odio Dei. Manifeste igitur apparet, ipsorum in-
terpretationem esse terram corruptelam.

S E D regula vniuersalis
teneatur: De voluntate Dei ex verbo ipsius iudicandum esse. Et
verbum Dei vniuersaliter omnes damnat, qui non sunt conuersi ad
Deum, iuxta dicta 1. Cor. 6. Nolite errare, idololatæ, homicidæ,
adulteri, &c. non sunt hæredes vitæ æternæ. Item: Qui non credit
in filium, manet ira Dei super eum. Rursus vniuersaliter recipit De-
us omnes, qui in conuersione seu pœnitentia credunt in filium, iuxta
dicta: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut con-
uertatur & viuat. Item: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum
unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat
vitam æternam. Hæ regulæ summæ semper in conspectu sint, quæ
vultis alijs sententijs lucem afferunt.

X. ARGUMENTVM.

Cum dictum sit: Delicta quis intelligit, Nemo potest omnia
sua peccata scire,

Ergo possibile est, hominem habere delictum ignotum, pro-
pter quod displiceat Deo,

Quare non est affirmandum, quod placeat Deo.

R E S P O N D E O. Nego consequentiam, & ratio est, quia firmiter
retinenda est regula: Omnis conuersus ad Deum, recte tenens
fundamentum, debet credere, se placere Deo, etiamsi habet delicta
ignorantia, sicut in omnibus hominibus magna hæret infirmitas. Ac
propterea traditur doctrina de remissione propter filium, iuxta di-
ctum: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum testæ sunt
peccata. Quia in nobis non est integra impletio legis.

XI. ARGUMENTVM.

Nemo placet Deo, nisi habens nouas virtutes, ortas à Spiritu
sancto,

Nemo potest affirmare, se habere illas virtutes, quia possunt
esse virtutes similes ortas à ratione,

Ergo nemo potest affirmare, se placere Deo.

R E S P O N D E O.

RESPONDEO Nego minorem, quia in terra conuersio seu poenitentia utrunque debemus affirmare, & quod detur remissio propter mediatorem, & simul uiuificemur per filium, dato Spiritu sancto in eusti uoce Euangelij. Et quanquam in ueri mens fide aduersionem debet, non nouitatem in nobis, tamen simul in ueri dolorem sentit hanc consolationem, in xta hac dicta: Iustificari fide parum habemus. Item: Clamamus abba pater. Et recte inquit Augustinus: Credens si it se credere, scilicet in doloribus sentiens consolationem.

De hoc argumento non solum aduersarij dimicant, sed etiam pientes apud sese quarunt, an Deo placeant cum sentiant infirmitatem, nec sentiant illustres motus lætitiæ in Deo. Et Simplicius in bar pijs mentes his clamoribus: Ideo statuas te infirmus, quia sentis in te Deum habitare, te habere ingentes motus lætitiæ in Deo. Sic abducat homines a conspectu mediatoris, & a promotione, ad nouitatem propriam.

CONTRA has imaginationes tenetur hic uerus ordo: Cum dolores non sunt simulati in poenitentia corda intueatur non uirtutes in nobis, sed mediatorum in uerbo ostensum, & cogitatione scriptæ promissionis se sustentent, & ita, se uoci Euangelij debere assentiri, & non querere alias illam inuenies. Hoc cum faciunt experiuntur consolationem. Estque hoc diffinitio inter assensionem Philosophicam & fidem. Sequitur assensio experientiam in Philosophia. Ut medicus expertus zincibere et ubi uentriculum, postea hoc affirmat. Sed in diuina consolatione prius assentiendum est uerbo externo, deinde sequitur sensus consolationis. Hęc in ueris exercitijs poenitentia & inuocationis discenda sunt.

XII. ARGUMENTVM.

Remittite & remittetur uobis.

Ergo nostra condonatio meretur remissionem peccatorum.

RESPONDEO Nego consequentiam, quia fallacia est a non causa ut causa. Quia in illo dicto prior pars est præceptum scripturae condonatio poenitentia. Altera pars est promissio, de qua ex Euangelio sciri necesse est, quod propter mediatorem gratis detur remissio peccatoribus. Nec ualet consequentia: Nostra contritio est necessaria ergo est causa remissionis. Et perspicua est refutatio de hoc dicto. Quia si cogitandum esset, propter nostram condonationem daretur remissionem, fieret incerta reconciliatio. Quanquam enim contritio pugnant odijs, tamē aliqua cicatrix seu imbecillitas in nobis manet.

HÆC simplex responsio congruit ad multa dicta, in quibus præceptio poenitentia proponitur, deinde promissio, ut apud Danielem: Libera te a peccatis iusticia & elemosynis erga pauperes, & cetera. sanatio delictorum tuorum. Prior pars præcipit emendationem, nec tantum loquitur de elemosynis, sed de conuersione.

nia præcepta, id est, agnoscas verum Deum, qui se patefecit in Isra-
 & promisit remissionem propter venturum Dominum, &c. Deinde
 & gubernatio tua iusta, non sis crudelis contra captivam Ecclesi-
 a Dei. Sic intelligatur concio regia de magnis rebus, & de nostra
 concione. Postea promissio consideretur de remissione peccato-
 rum, & de reconciliatione hominis Ethnicus, & pollutus horribili ido-
 latria. Nec dubium est ab ipso Daniele hanc promissionem copio-
 sis enarratam esse, & regi dictum esse, cur detur promissio, per quem
 estimatur iusticia & vita æterna, & promissionem fide accipiendam
 esse. Eadem responsio est ad concionem Iesaiæ 1. Desinite male face-
 re, si peccata vestra sunt ut coccinum, eritis candidi ut nix.

XIII. ARGUMENTUM.

Maxima virtus maxime iustificat,
 Dilectio est maxima virtus,
 Ergo maxime iustificat.

RESPONDEO. Concedo totum argumentum de iusticia legi-
 s. Sed quia non habemus integram iusticiam legis, Evangelium
 concionatur de alia, & docet imputari credenti iusticiam propter
 mediatorum. Hæc est simplex & vera responsio, quæ prolixius expli-
 cari potest, si quis postulat. Ac sciendum est, longe aliud esse, loqui de
 collatione virtutum inter sese, aliud de remissione peccatorum, & re-
 conciliatione coram Deo.

XIII. ARGUMENTUM.

Si vis in vitam ingredi, serva mandata,

Ergo & fieri lex potest, & bona opera merentur vitam æternam.

RESPONDEO breviter: Intellige, serva mandata, scilicet com-
 plectendo Evangelium. Nam Christus finis est legis. Ac semper lega-
 bus dicitur necesse est addere vocem Evangelij, quod docet fide re-
 conciliari hominem, & simul incoari obedientiam, accepto Spiritu
 sancto, & placere incoaram obedientiam, propter mediatorem, et-
 terni languida & infirma est. Hæc $\epsilon\pi\iota\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota\alpha$ expressa est, Rom. 8. Idem
 agitur vult dictum Pauli: Milita bonam militiam, retinens, fidem &
 bonam conscientiam. Hinc non sequitur, legi satisfieri in hac vita,
 quia vox Evangelij expresse dicit: Sensus carnis non est subditus legi,
 ac ne potest quidem subdi. Ac non sequitur, Bona opera esse me-
 ritum vitæ æternæ, quia fides præluens gratis accipit propter me-
 diatorem remissionem peccatorum, & hæreditatem vitæ æternæ.

XV. ARGUMENTUM.

Qui non diligit, manet in morte,

Ergo non sola fide sumus iusti.

RESPONDEO. Nego consequentiam, quia est fallacia à non
 causa ut causa. Est enim verissimum est, dilectionem esse in con-
 versio;

uero, tamen dilectio non est causa seu meritum remissionis peccatorum, seu iustificationis, seu reconciliationis. Vt, verissime est: Qui non mouetur, non uiuit, nec ramen sequitur, motum carnis esse uitam, sed uita est immediata causa motus: Ita fides a gratuita misericordiam Dei propositam propter mediatorem, ostendit bonitatem Dei, qua cognita accenditur dilectio Dei, & cor subijcit se Deo. Hæc responsio ad similia dicta congruit. Si omnem fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil sum. Concedo totum. Quia uerum est, oportere in reconciliato fidem & dilectionem esse, sed nõ sequitur, dilectionem esse causam seu meritum reconciliationis.

XVI. ARGUMENTVM.

Naturalia sunt immutabilia,

Dubitatio de reconciliatio est naturalis, ut nunc quidem nascimur,

Ergo est immutabilis.

RESPONDEO. Concedo esse immutabilem in hac depuratione, sine uoce Euangelij & sine auxilio diuino, sicut Adam non solum in dubitatione mansisset, sed etiam oppressus esset ætæna desperatione, si promissio gratiæ non prolata esset ex sinu æterni patris, & per uerbum Deus flexisset cor Spiritu sancto ad ascensionem, & sic in illa consolatione filius uoce Euangelij primos parentes retraxisset ex morte. Hoc exemplum intueamur, quod ostendit quomodo fiat hæc consolatio & liberatio à dubitatione, & docet promissionem Euangelij non esse natura notam, & discernendam esse à lege & ab alijs naturalibus noticijs.

XVII. ARGUMENTVM.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum,

Ergo propter dilectionem fit remissio.

RESPONDEO. Duplex est Absolutio. Altera priuata conscientie luctantis cum ira Dei. In hac absoluteione necesse est intelligi, quod fide accipiatur remissio, non propter nostras uirtutes. Ita & hic inquit Dominus: Fides tua saluam te fecit. Nec nititur fides dilectione nostra, sed tantum misericordia promissa propter meditationem. Nec existere dilectio potest, nisi sit apprehensa remissio. Hoc pertinet dictum: Hæc omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod uos fieri per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Altera est absolutio publica coram Ecclesia. In hac conspici nec esse est ab illis testimonio conuersionis, ut hic Christus Pharisæo ostendit, ut eam recipiat, quia extant testimonia conuersionis. Si cuius absolutio non placet, utatur altera: Vstratæ sunt Synedochæ, Remittuntur ei multa, quia conuersa est. Et tamen synecdoche explicanda est. Cum multæ sint partes conuersionis, contritio, fides, dilectio, spes,

num propositum, tamen sciendum est, dari remissionem, non propter dignitatem harum virtutum, sed propter mediatorem. Hæc de-
claratio su nitur ex Paulo dimicante de particula gratis fide propter
mediatorem.

XVIII. ARGUMENTUM.

Vita æterna nominatur merces,
Ergo est debita pro operibus.

RESPONDEO breuissimè. Phrasis nota est, mercedem dici
non tantum compensationem debitam, sed fructum qui sequitur. De-
inde verum est, vitam æternam etiam si propter aliud datur, tamen et-
iam esse mercedem, quia compensat benefacta, ut patrimonium est
merces officiorum filij, etiam si accipitur propter aliam causam.

Considerandum & hoc est. Sæpe videntur Prophetæ phrasi legis,
vbi tamen interpretatio ex Euangelio sumenda est. Vt, Reddit vni-
usq; secundum opera sua, vbi tota conuersio intelligitur, & tamen
sciendum est, fide primum gratis reconciliationem accipi, postea pla-
cere Deo fidem & incoatam obædientiam. Et piæ mentes semper so-
lare decet dictum Iacob: Minor sum cunctis miserationibus tuis.

XIX. ARGUMENTUM.

Iacobi 2. Videtis igitur, quod ex operibus iustificatur homo,
non fide tantum.

RESPONDEO. Manifestum est in Iacobo fide tantum intelli-
gentiam historiæ, de qua noticia dicit: Dæmones credunt & contre-
munt. Fatemur autem, neminem esse iustum sola illa noticia, sed
Paulus loquitur de fide, quæ est agnitio & fiducia misericordiæ, quæ
pacem affert cordibus, ut inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et
discrimen in vera conuersione intelligitur, in qua fides vincit veros
paiores, & est motus Spiritus sancti, quo corda viuificantur, & accen-
ditur vera inuocatio, qua clamamus. Abba pater, ut dicitur in Zacha-
ria: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Non
igitur pugnat Iacobus cum Paulo, sed de alia re loquitur. De-
inde cum ait: Ex operibus iustificamur, phrasis intelligenda est.
Non enim hic iustificari est reconciliari, sed postea habentes bona
opera iustificantur, id est, approbantur, habentes iusticiam operum,
quæ in reconciliariis iam placent Deo.

XX. ARGUMENTUM.

Iustificare est ex iniusto iustum facere,
Iustus est habens iusticiam, id est, obædientiam integram, seu
conformitatem cum Deo,
Ergo non sola fide iustificamur.

RESPONDEO ad Maiorem. Iustificare iuxta doctrinam Euan-
gelij primum est ex reo non reum facere. Nam hoc agitur in veris
A 2 dolori-

doloribus, quæritur remissio peccatorum & reconciliatio. De hoc dicitur: dimittat conscientia. Ideo Actor. 10. dicitur: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Sic clamat: Propheta: Misere me fac propter misericordiam tuam. Etsi autem verum est, hæc consolatio, cum fide eriguntur corda, & retrahuntur ex mîris, simul dato Spiritu sancto incoari obædientiam & habitare Deum corde tenato: tamen semper hæc consolatio præluceat, quod nichil placeat propter mediatorem. Ideo iustificare primum hæc significat ex reo non reum facere, & hanc relationem in verbo iustificacionis apprehendit Paulus, cum inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et notatur fides obædientia Christi, non propria novitate. In infinitum est anteferenda est Christi obædientia nostræ novitati, sicut Paulus inquit: Iustificati sanguine ipsius.

QVARE NECESSE EST RETINERE EXCLUSIVAM, Sola fide, seu Gratis?

PRIMUM ut tribuatur honos debitus filio Dei, quod hæc sola hostia sit precium propitiæ, iuxta dictum: Hic est agnus Dei qui tollit peccata mundi. **SECUNDO**, ut conscientia habeant firmam consolationem, iuxta dictum Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Si tamen penderet remissio ex dignitate nostrorum operum, semper elucteretur certa, & opprimerentur perterritæ mentes desperatione.

TERCIA causa est, ut conspiciatur discrimen legis & Evangelij, quia particula gratis fide propter mediatorem præcipua distinguit legem & Evangelium. **QUARTA**, ut invocatio fieri possit, quæ impeditur conspectu nostræ infirmitatis. Ideo accedendum est ad Deum fiducia solius mediatoris, iuxta dictum: Per hunc habemus accessum. Item Ephes. 3. In hoc habemus fiduciam & accessum confidentia per fidem eius &c.

DE BONIS OPERIBVS QVÆSTIONES TRES.

I. **QVÆ** opera docenda & facienda sint. II. **QVOMODO** placeant Deo. III. **An** manean in sanctis peccata in huius vita, & quæ peccata.

I. **QVÆ** OPERA DOCENDA & facienda sunt?

RESPONDEO. Præcepta in Decalogo recte intellecta, iuxta dictum Eze. hielis 20. In præceptis meis ambulate, & facite ea. Deum enim Deus immensa bonitate etiam uocem legis moralis in Ecclesia